

posse obscuritatem omnem vitari, nisi interdum unitatis vocabulum adhiberetur, certe orationem duriusculam effici. *Monadēs* cum Macrobio et Cassiodoro poteramus dicere, sed nec has putabamus latinis auribus placituras. Ceterum idem ille Macrobius *unitatis* vocabulo, hoc sensu, usus est, in Somn. Scip. L. I. c. 6. Libenter etiam a *Quoti* verbo nos abstinuissimus in diuisionis explanatione, nisi idem incommodum timuissimus. Qui partitione efficitur numerus, quotus dicitur, quia, quota pars diuidendi partiens fit, indicat; vt satis sit accommodatum rei vocabulum, modo veteres ita usus esse constaret. In Geometria autem ita fere enunciauimus, vt, cum esset v. c. dicendum: quaeratur quotus ex trecentis diuisis per quinque: diceremus: sumatur quinta trecentorum pars. Atque ita etiam in aliis fecimus, quae non potuimus, vt volebamus, in Arithmeticis enunciare. *Milliones*, *billiones* quoque Latini ignorauerunt: sed his vocabulis ad compendium numerandi inuentis carere non poteramus. *Rationum parium proportionem* diximus: recte, credo, et ex veterum more. Equidem non ignoro esse, qui *proportionem* a *ratione* non diuersam putent, et *Analogiae* potius vocabulum de paribus rationibus adhiberi velint. Neque nescio, *Analogiae* verbo plerumque de hac re vtī Varronem, in libris de lingua latina, *proportionisque* vocabulum interdum
apud